

1
6
516







VANAM ESSE
ASTROLOGIAM
MEDICO PLANE INDIGNAM.

ORATIO.

HABITA IN ARCHI-LYCEO PATAVINO,

DIE III. NOVEMBRIS, MDCLXXXX.

A CAROLO PATINO,

EQUITE D. MARCI, DOCT. MEDICO PARIS.

PRIMARIO PRACTICÆ EXTR. PROFESSORE.

Pat



PATAVII, MDCXC.

Typis Seminarii Patavini.

SUPERIORUM PERMISSU.

68

SERENISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO MAUROCENO

VENETIARUM DUCI, &c.



Otiorne sit dignitas tua, aut virtus tua, cùm ipsi hærent tantarum quas gessisti rerum, præclarissimorum facinorum testes & coævi, ut quæ viderint quæ audiverint, ab uno patrata fuisse, vix capiant, Posteris obscurius fore mihi dubium est, Serenissime Princeps. Te enim etsi ad dignitatum Venetarum culmen evexerit publica sapientia, sublimiori Te censebant dignissimum, quem ut de Themistocle narrat Plutarchus, *puerum ardore animi plenum, indole sapientem, ad res magnas propensum, natumque ad Rempublicam tractandam* singuli cognoverunt. Aristobulæ Dianæ ædem ille erexerat, quòd bonum consilium sibi omnibusque Græcis adversus Barbaros dedisset, pusillamque sui statuam in eodem fano collocaverat, post multa sæcula ibidem cultam. Quales ipse promereris ædes & statuas, Serenissime Princeps, qui majora mirabilioraque perfecisti, qui ARISTOBULI & ALEXICACI cognomina meliori titulo quàm vana Gentium numina, mente & manu adeptus es.

Sed quò me rapit mea Tui admiratio, ad solium usque tuum me deduxit, & incautum prorsus Tuæ Serenitati objecit. Animo non dejiciar, Persam illum imitaturus Imperatori suo guttulas aquæ manibus contentas offerentem, quibus majestatem Regis Regum venerarerur. Immensum erga Te obsequium levi donario testificari fas sit, quo me tuæ benignitati tuo patrocinio addictum nuncupatumque esse censeas.

Diu te servet Deus O. M. Serenissime Princeps, quo consulente quo dirigente ut olim præliante, felix fausta fortunataque perennet Respublica Veneta.

Patavii, Id. Nov. MDCLXXXX.

Illustrissime & Generosissime Prosyndice &c.



Felicitatem seu omnium rerum exoptandarum plenitudinem, humani generis imbecillitas, hoc hodie cupientis, cras prohibentis, mutantis ac sæpè nutantis, nec unquam in proposita cupiditate constantis, assequi vetat. Illam cœlo locaverant Ethnici, quam tamen non Deam, sed donum Dei ab omnibus ambitum interpretatus est divinam civitatem astruens D. Augustinus. Quid, obsecro, Principes movet, orbisne Rectores dicam, ad tot exantlandos labores, ad tot aggredienda facinora, præter conceptam illam Felicitatis spem summè desideratæ? Quid cujusque regionis, sexus, aut conditionis homines? Sed ut me contineam, quid Venetos Imperatores nostros impellit ad ingens gravissimumque quod inferunt barbaris bellum? An thesaurorum cupiditas, qualis in Cyro notata est? An vesana ambitio quæ nullum præter se regnare permisit Alexandro? an furor evertendi Rempublicam, qui Jul. Cæsarem tot civilibus bellis implicuit, tandemque necavit? Id profectò unus livor malignè obloquens affirmaret. Solum illud Dei donum aucupatus est Serenis. Franciscus Maurocenus, quo felicitatem Sibi patriæque assereret. Turcas ferocissimos æquè ac potentissimos hostes sæpè adolescens fudit fugavitque, tandem oræ maritimæ arces aut disjecit aut occupavit, utrumque Græciæ ocellum liberavit, maris imperium vindicavit, Peloponnesum recuperavit, non minori sanctitate quàm fortitudine πολλὰ καὶ λαμπρὰ πεπραγμένος omnia patravit: Donec Ser. Respublica gestarum egregiè rerum assidua præmiatrix, absentem præsentibus multis emeritis Proceribus prætulerit, & vacanti Ducali sedi læta imposuerit. Sic danti accipientique Felicitas nobiliter exurgit. Illa ingens grati animi testimonium cunctis hominibus præbuit, hic susceptorum laborum præmium sustinet, & ut novus Atlas, aliis Herculibus sua munia obeunda decernit. Nonne hæc utcumque Felicitas Venetum nomen pacis bellique temporibus admirabile facit, & ad sidera evehit? Æternùm illa duret, & venturis retrò sæculis dubium maneat, an fortissimo Mauroceno Respublica omnium sapientissima plura contulerit, quàm illa a tanto Heroe acceperit.

At dum Dei O. M. munus, Serenissimæ nimirum Reipublicæ providentiam adoramus, officii nostri memores, non secus ac formicæ pro hiberno tempore fruges æstate colligentes, aut apes alveolos rore melleque stipantes, ea persequi conabimur, quæ ad publicum bonum conferentia, nostram liberabunt conscientiam, nobilissimos Auditores recreabunt, & munificentissimum Principem novo obsequio venerabuntur.

In exornanda quam suscepimus disciplina, duo nobis præstanda suadet Pythagoras, alterum ut a morbis corpora liberemus, quod medicum est; alterum ut animi vitia erroresque depellamus, quod philosophum: Ὥσπερ γὰρ ἰατρικῆς οὐκ ὄφελος, μὴ τὰς νόσους ἐκβαλλούσης ἀπὸ τῶν σωμάτων, οὕτως οὐδὲ φιλοσοφίας, εἰ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς κακὸν ἐκβάλλη. Primo exequendo totum anni decursum concedere mens est, alteri hodiernam exercitationem, magni hoc sæculo momenti, quo Veterum deliramenta renasci videntur; ut non pauci, præter multos nebulones, eruditi Viri, gloriæ sibi ducant tum inventis addere, tum sanctæ philosophiæ peplo, ineptissima vanissimaque theoremata intrudere: Astrologiam investigare cupimus, ejusque

vanitatem ob oculos ponere; ne quiſquam ex noſtris Auditoribus φιλιατροῖς, neglectâ quam profiteri cupiunt ſapientiâ, illius illecebris veriùs lenociniis capiatur; ne tempus ſeverioribus ſtudiis condonandum, temerariæ inutiliſſimæ atque deteſtandæ occupationi tradatur.

Ab ejus nomine ducamus initium, quod pudor eſſet cùm Aſtronomia confundi, & ſimulatâ ſororum affinitate permiſceri: Aſtra licet utrique nomen dederint, & νόμος atque λόγος vocum ὁμωνυμία differentiam levem conſtituere videantur, aliter ſe res habet, cùm maximum inter ipſas verſetur diſcrimen, quantum pudicam inter virginem & concubinam, hominem & ſimiam; Non ſecus ac inter Alcmenæ filios, quorum alter a Jove, alter ab homine prognatus erat: Aſtronomiam enim nullum eſt dubium, hominibus a Deo per Adamum & Salomonem unà cum præſtantiſſimis diſciplinis tranſmiſſam: Aſtrologiam verò ab ineptis aut fallacibus hominibus, ne cum D. Auguſtino dicam, unà cum magia ab ipſo inventam Dæmone: Sed ne lis occurrat in limine, ob Autores promiſcuè iſtis vocibus utentes, quod menti inhæret noſtræ manifeſtiſſimè declarabimus.

Aſtronomia pars ſit Matheſeως nobiliſſima, tantùm ſuper cæteras eminens quantùm aſtra ſuper ſublunaria, quantùm inter viburna cupreſſi: Cœlos ſpeculetur, aſtraque ipſis impoſita: De eorum numero, ſitu atque motu philoſophetur; Dierum, menſium, & anorum tempora inveſtiget, Eclipſes Solis Lunæque doceat, innumeraque tum ad declarandam Creatoris gloriam, cum ad capeſſenda maxima humani generis commoda, Medicis, Agricolis, Nautis, atque ipſis Imperatoribus notiſſima. Aſtrologiam verò ſimili ferè nomine cohoneſtatam dixerunt artem quæ virtutes & operationes ſtellarum conſiderat, atque ex earum ſitu & motu per omnis generis mutationes, quas per radiorum ejaculationem in corpora elementaria inferunt; omnia conjicit & prædicit. Abſit contra primam quidquam fari, Philoſophis omnibus acceptiſſimam, mihi imprimis dilectiſſimam: At alteram aut vituperare aut damnare ſatis nequeo, incertam, vanam, ac falſam, Medicis & quibuslibet cordatis ſolertibuſque viris indigniſſimam.

Hujus tamen antiquitatem jactant, quæ a Chaldæis, Ægyptiiſque & Phœnicibus inventa ad Græcos primùm pervenerit, deinde ad Romanos, cæteroſque Europæ, Aſiæ & Africæ populos, eâ ſummè oblectatos. At quantùm fallantur, docet magnus Scaliger *in præfat. Manilii*: Ipſis litterulis carebant Ægyptii, inquit, quas ex Arabibus emendicaverunt, Græci è contra litteras a Cadmo didicerunt; medicinam univerſamque philoſophiam invenerunt ac perfecerunt; adducto in teſtimonium Hippocrate, ſcriptore antiquiſſimo, qui nobis bonorum omnium autor extitit, inquit Galenus *l. de præcogn. ad Poſt.* & ob ſummam eruditionem ac ſapientiam *divinus* etiam a D. Auguſtino nuncupatus fuerit; Eò tandem litterariæ gloriæ Ἕλληνες evecti ſunt, ut Muſarum hoſpites, Parnaſſi Aganipidiſque Domini, & artium & ingenuarum diſciplinarum diſpenſatores coli meruerint: *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Muſa loqui.*

Negandum non eſt Chaldæos Aſtrologiæ notitiam priores habuiſſe, ſed rudem & valdè imperfectam παχυτέρᾳ Μάτῃ, accuratam Græci tenuerunt, ἀκριβῆ, qui tempeſtatum ſignificationes ad arandum & ſerendum noverant: Caniculæ ortum obſervarunt, & ex iis frugum proventum aliaque optima concluſerunt. Maximam deinde conſtat fuiſſe Chaldæorum inſaniam quæ ἀποτελέσματι finxit, & futurorum divinationem quam damnamus, promittit. Ridiculum prætereà foret inutilem diſciplinam ob ſolam antiquitatem colere.

No

Non minus esset absurdum eamdem invitis melioris notæ Philosophis tueri, cujus hostes se declaraverant Pythagoras, Democritus, Phavorinus: Cicero, Senecaque validissimis suis rationibus ironiam sæpè ridentes adjecerunt. Epicurus, Plato, Aristoteles, philosophicarum sectarum Principes, summa contemptione ne verbum quidem protulerunt, quod Astrologiam redoleret, tametsi cœlestia corpora ingenti cum animi contentione indagaverint. Alex. Aphrodisæus Fati rejicit necessitatem: Averrhoes ubique Astrologiam lacerat, damnat, insectatur: Avicenna Astrologorum dogmata falsa esse convincit, & philosophiæ contrariam. Plotinus primæ inter Platonicos autoritatis, cùm diligentem operam Astrologiæ dedisset, comperissetque artis vanitatem, falsitatemque prædictionum, omnem Astrologis fidem abrogavit, eorumque dogmata risit & confutavit. *Sapientissimi quique Gentilium*, inquit Vossius, de idol. *artem hanc non artem putârunt, sed imposturam, eique credulos damnârunt dementiæ.*

Quid de his sentiat Jurisprudentia, paucis investigemus. Astrologorum artem interdicit, ut abominabilem, vetatque Justinianus ne quis sub capitis pœna Mathematicum consulat, ejusdemque culpæ affines esse jubet & qui docent & qui addiscunt. *Sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas*, inquit Imperator, Tit. 18 l. 9. cod. §. 5. & §. 7. *Si quis Magus aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur vel mathematicus, aut enarrandis somniis occultans artem aliquam divinandi, præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat.* Certè eos saxo sæpè dejectos fuisse autor est Tacitus, & sub Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constantino, Gratiano, & Theodosio, deserere artem vel pendere pœnas improbi ærusca tores coacti sunt.

Sexcentas Jurisconsultorum autoritates argumento huic firmando adjicere possem, quibus ut summi ponderis, sacras aliquot præferemus: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*: Levit. c. 19. & *Non inveniatur qui ariolos sciscitetur & observet somnia atque auguria.* Deuter. c. 18. Ita loquitur apud Isajam summus Creator cap. 44. *Ego sum Dominus irrita faciens signa Divinorum, & hariolos in furorem vertens, convertens sapientes retrorsum.* Quid responderent Salomoni, *Homo ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* Divus Basilius Astrologiam esse occupatissimam vanitatem asseruit: D. Ambrosius inutilem & impossibilem: D. Chrysostomus falsam & ridiculam: Epiphanius, Theodoretus, Tertullianus, Lactantius, aliique apostolici Viri, majoribus conviciis Astrologiam affecerunt, ut Div. Hieronymus *reliquias idololatriæ* esse affirmaret, futurorum eventa ex stellarum cursu rimari. Elegans est illud Basilii argumentum, *ridiculum esse Astrologis contradicere cùm eorum dicta sint ignorantiæ & impietatis plenissima.* Sufficerent ista pertinacioribus Astrologiæ vindicibus, at si Christianos se fateantur, liberè audiant Martini P. M. Synodum damnantem *Signorum observationem atque fallaciam pro domo facienda conjugiisque sociandis.* Audiant Gregorii excommunicationes contra Auruspices & Astologos. Audiant & concilium Toletanum *Si quis Astrologiæ vel mathesi existimat esse credendum; anathema sit.* Idem ferè Concilium Bracarense can. 8. & 9. his verbis *Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit astringi, sicut Pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Ne tamen solis autoritatibus niti videamur, adversæ partis vires explanabimus & expugnabimus.

Spiritus Sanctus, inquiunt Genethliaci, docet lib. 1. Gen. *Stellas esse in signa & tempora, & dies & annos*; indicant itaque quod futurum erit; illud autem a doctis hominibus potest prævideri, sicque Astrologia decursu temporum constituta est. Id ita interpretatus est Origenes, ut scilicet per varios siderum aspectus & conjunctiones, humanarum rerum even-

tus

tùs judicarentur. Verum diversissimus est illius loci sensus, ut ex D. Augustino constat. Dicuntur enim stellæ in signa & tempora, quasi in signa temporum. Nimirum motus Astrorum, præsertim Solis & Lunæ, definiunt tempora: Sic dies est circulus solaris; hora, pars ejus circuitionis XXIV. Annus, motus est integer Solis, per XII. Zodiaci signa quas Astrologi δωδεκατημορίους nuncupant: Mensis motus Solis per unicum Zodiaci signum, aut motus Lunæ per totum Zodiacum: Est etiam Solis motus ad distinctionem temporum, seu tempestatum, quia ab æquinoctiali circulo ad solstitium brumale seu tropicum Capricorni tendens, & inde ad æquinoctium rediens, atque posteà ad solstitium vernale seu tropicum Cancri perveniens, tandemque iterum ad æquinoctium accedens, quatuor anni tempora determinat, τέσσαρες τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνους. Vel *dicuntur esse in signa*, non illa quæ observare sit vanitatis, sed utilitatis, quibus Nautæ utuntur in gubernando, Agricolæ in serendo, & Medici in medendo: Has enim prænotiones dici volumus, quas & ipse Cicero *divinationes* nuncupari nullo modo permisit, *l. 2. de Divinat.*

Alterius arietis vires perpendamus: *Astrologi*, inquiunt, *mirabiliter multa vera respondent*, ex D. Augustino l. 5. cap. 7. ut æquiparentur Jovi, qui eventura prævident & pronuntiant. Julio Cesari prædictum fuit ab Astrologo, ut sibi caveret ab idibus Martiis, quibus postea ab ultimis Romanorum necatus est. Nigidius Augusto nato dominium orbis terrarum statim prædixit, quem Theogenes mathematicus adoravit inspectâ Capricorni geniturâ. Othoni nondum Imp. Seleucus mathematicus superstitem Neroni & brevi imperaturum promisit, quodquidem mox evenit.

Celebres alias ejusmodi prædictiones veras taceamus: At cùm multa prænunciant Astrologi, casu ex iis aliquod evenit: Quatuor tali jacti, casu tandem venereum efficiunt: Aspersa temerè pigmenta in tabula, oris lineamenta possunt effingere: Equidem necesse est aliquando collimet qui frequenter jaculatur. Falsa Astrologorum responsa pauci commemorant, vera celebrantur pro admirabilibus; Quam pauca hæc sunt, refert Phavorinus apud Agellium, *ut omnia quæ temerè aut astutè vera dicunt præ cæteris quæ mentiuntur, pars millesima non sit*: *Quoniam autem quæ falsò dicunt, plerumque silentio involvuntur, at quæ verè licet casu, in vulgus hominumque sermonem dimanant*; *Inde fit ut apud imperitos divinare existimentur*. Lepidè inquiebat Cicero *cur Cassandra furens futura prospiciebat*; *Priamus sapiens hoc idem facere non queat*. Quàm amo sagacem illum medicum Astrologiæ judiciariæ peritissimum, a D. Augustino laudatum, Confess. l. 4. c. 3. qui *eam detestabatur*, *ipsumque Augustinum paternè admonuit*, *Genethliacorum libros abjicere*, *ne suam operam rebus utilibus necessariam*, *illi vanitati frustra impenderet*, *cui olim victui suo consulens*, *& Hippocratem non intelligens*, *tempus concesserat*: Et cùm eum ab illius scientiæ studio deterreret, interrogâsse *qui fieret ut tam multa inde vera pronunciarentur*, *respondisse*, *vim sortis hoc facere in rerum natura*, *usquequaque diffusam*.

Emolumenta maxima ex prædictionibus oriri affirmant Astrologi, tum ut actiones nostras felici die, felici hora, felicique momento auspicemur feliciter ita successuras; tum ut si ex prædictionibus infelices futuræ sint, illis abstineamus. Eventus itaque actionis, ut prælii, navigationis, matrimonii, fabricæ, pendebit a momento, momento enim fluunt sidera, ut sequenti alia sit constellatio. Nasci momento hominem asserere non audent, qui sæpè lentum habet ab utero exitum, at nunquam momentaneum: Frustra deinde conceptionis momentum interpellaretur, quæ neque momento absolvitur, neque sciri potest, nulla itaque utilitas

ex ejusmodi indagatione exurgeret. Quid vanius inde horoscopo παρὰ τὸ σκοπεῖν τὰς ὥρας, quem ingeniosè *genitalem notationem* nuncupavere, *ex horæ inspectione quâ quisque nascitur*: Utquæ fictæ sunt de geminis prædictiones uno impetu cadere necesse sit. Stolidissimè igitur atque impudentissimè eligendam esse horam asserunt, auspicandæ actioni quam felicem auguraverunt.

Inde frivolam nuncupat Haly interpres Ptolemæi hanc Astrologiæ partem quæ est de electionibus. *Jam illud quis ferat*, exclamat D. Augustinus de civ. Dei lib. 5. c. 7. *quod in eligendis diebus nova quædam suis actibus fata moliuntur? non erat videlicet ille natus ut haberet admirabilem filium, sed ita potius ut contemptibilem gigneret: & ideo Vir doctus eligit horam qua misceretur uxori. Fecit ergo fatum quod non habebat, & ex ipsius fato cœpit esse fatale quod in ejus nativitate non fecerat. O stultitiam singularem, eligitur dies, ut ducatur uxor; Ubi est ergo quod nascenti jam sidera decreverunt? An potest homo, quod ei jam constitutum est, diei electione mutare?* Tantæ autoritatis sunt hæc verba, ut mihi sufficiant insinuandæ nostræ conclusioni, horoscopi notati artem esse nullam.

Indos Reges nihil aggredi nisi consultis Astrologis novimus, sed inter barbarorum mores, philosophicaque dogmata, quantum interest? Felicius ne deinde illi suis votis potiuntur? *Nullos vidi rerum magis egenos*, inquit Picus Mirandulæ Princeps, *quàm qui Astrologiæ se devoverunt?* Quis Zoroastre infelicior, quis Pompejo, utroque divinatorum amantissimo? Qualis è contra felicitas contigit Julio Cæsari & Justiniano Impp. Romanis, isti Astrologorum derisori, huic exterminatori? Scribit Cicero, l. 2. de divin. *Quàm multa & Pompejo & Crasso & Cæsari a Chaldæis prædicta; neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, qui tamen omnes ante diem & violenta manu periêre.* Certe si quis de rebus ad valetudinem pertinentibus Astrologi quàm Medici judicio se committeret, insaniæ pœnas daret, plura passurus ex Angina aut Pleuritide, quàm ex Martis aut Saturni dominatu, ex causis proximis & manifestis, quàm remotissimis, imò nullis: Si quis contractæ virulentiæ causam investigaret, nonne breviùs tutiusque sibi consuleret, ædiculas quas percurrerit perpendere, quàm sextam cœli domum insulsè Veneri dicatam, arguere.

Stellas omnes asserunt efficaces esse calore, lumine, motu & influentia, quâ ultimâ intelligunt occultam vim quæ non cernitur oculis, sed sentitur, ut qui domi latet, vim tamen Plenilunii & Novilunii persentiat: Quamvis concesso siderum influxu, nil proinde sequeretur, ob hujus infirmitatem & illorum distantiam: Absolutè tandem ejusmodi influentias negando, illasque ad virtutes physicas reducendo, planè corruet quod fallacibus paralogismis adstruere contendebant: *O acutos homines! Ea sumunt ad concludendum, quorum nihil illis conceditur*, inquit Cicero. Hinc Chaldæorum sapientia telæ aranearum comparatur, in quam si culex aut musca inciderit, vix ab ea exerere se poterit, potentia verò animantia laqueos rumpent: *in his hærent infirmi, validiores elabuntur*, inquit D. Ambrosius, l. 4. Si deinde virtutes inessent sideribus, pro more cœlestium corporum, universales esse deberent, huic quam illi non magis felices aut infaustæ, ut quadrati vel oppositi sideris vires æqualiter sentierint diversissimi homines in una nave demersi, aut in uno prælio necati. Porrò singularissima divinantur, asseruntur & conscia fati sidera censentur ac prædicantur: Ut quælibet provinciæ, quælibet humani corporis partes, quælibet actiones suorum planetarum dominio subjaceant; quod planè ridiculum. *Cui luna*, inquiunt, *pessimè posita est, voluptatem in vita nunquam sentiet*, vel *cui Luna & Saturnus, miseriam non*

effu-

71

effugiet : *Saturnus & Mars magna etiam conciliant infortunia, & imprimis turpem egestatem. Venus Marti copulata nos vocat ad adulteria. Mars cœli nonam partem occupans facit irreligiosos*, vel *Sol cùm Saturnum & Mercurium in undecima domo aspicit virum sine liberis moriturum efficit. Cui oculus tauri adest in capite ascendentis, sicarius erit, violenter & sub carnifice morietur.* Quis probaret Albumasaris inter Astrologos maximi nominis superstitiosum consilium? *Qui Luna Jovi conjuncta cum capite draconis Deo supplicaverit, impetraturum ab ipso quidquid petierit*; Non ergo cordis pietati, sed siderum positioni Dei benignitate concederentur postulata? O mirabiles ne dicam stultissimos homines & impudentissimos! *Ipsis consulerem*, inquit Picus Mirandulanus, *ut postquam illis Jupiter ita favens est, tantum sibi, uni felicis horæ supplicatione, divitiarum compararent, ut nostris post hac pecuniis nihil indigentes, desinerent aliquando mentes imperitorum tot quotidie mendaciis, emungendæ pecuniæ gratia ludificare*. Sic olim cantavit Accius: *Nihil credo auguribus qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domus*. Audiamus iterum Hipponensem Episcopum. *Illi verò qui positionem stellarum quodammodo decernentium potestatem habere affirmant, magnam Deo faciunt injuriam, in cujus velut clarissimo senatu ac splendidissima curia, opinantur scelera facienda decerni*. Quomodo efficaces essent viresque influerent res planè imaginariæ, aspectus, σχήματα, affinitates, positiones, domus, triangularitates, ipsaque Zodiaci animalia, figmenta planè & non entia, nihil realitatis habentia? Ea tamen felicitatis aut miseriæ parentes censentur, & si Astrologis credamus, quod avertant Dii, erunt causæ primariæ. Quid aliud, caput caudaque draconis, tantum terrorem imperitis incutiens, præter meras intersectiones duorum circulorum, præter duo puncta, eaque commentitia?

Quò speciosiùs fallerent Planetarii, sic enim sæpè Astrologos Mathematicosque nuncupaverunt Viri sapientes, ἐπίθετα singulis Planetis assignaverunt, analogicè & utcunque ingeniosè ipsos designantia. Solem ἀγαθὸν Δαίμονα dixerunt, *Bonum Genium*; Jovem Νίκην seu *Victoriam*; Mercurium ἀνάγκην seu *necessitatem*; Venerem ἔρωτα *amorem*; Martem τόλμαν *audaciam*; Saturnum Νέμεσιν quasi *facinorum ultricem vindictam*, Lunamque τύχην *Fortunam*: Atque ut horoscopum ducerent, voluerunt ad diurnas genituras uti parte Solis, ad nocturnas verò parte Lunæ, ex quorum Planetarum distantia a puncto natali seu horoscopo, prædictiones suas cudebant, apud plebem oraculorum vice receptas.

Hæc fuit illorum philosophia quam malim cum innumeris Sapientibus asserere ambitiosam superstitionem, artem temerariam & chymericam, ut de artificibus taceam, triduò sæpè factis Astrologis, pejus profectò tractandis, si illos investigare satageremus: Patavium vobis exhiberet in obsoniorum foro septennem Astrologam, ad aurem insusurratis per tubulum ineptiis, rusticorum crumenas lepidè emungentem: Quis me hercule non rideret? an cachinnos contineret ipse Heraclitus? Venetiis sæpè vidimus Astrologum sellæ suæ in platea D. Marci graviter insidentem, ineptos ac imperitos curiosos sua sphæra suo circino ludentem ac fallentem, quem nuper Magnatis coquum ibidem videramus: Sic fieri amat, se de Rhetore consulem, de tyranno pædagogum, de Medico vespillonem, de coquo Astrologum: Sic bellè olim Cicero, *Chaldæorum inventum aut quæstus causâ aut superstitionis, aut erroris, ad nos usque propagatum*.

Ab Astrologia itaque abstineant Medici cunctique Sapientes homines, quam a Sancto Spiritu damnatam, Sanctis Patribus, Theologis, Philosophis & Jurisconsultis improbatam & explosam, quamque vanam falsam ac perniciosam judicamus. D I X I.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967

HM